



Q. D. B. V. 12.

DISSERTATIO ANATOMICO - PATHOLOGICA  
DEMONSTRANS

**VERI TEMPERA-  
MENTI  
INHVMANO ABSENTIAM  
CORPORE  
HVVSQVE CVM INTEMPERIE  
CONFVSIONEM**

QVAM  
PRAESIDE

**CHRIST. GODOFREDO  
STENTZELIO**

TORGAVIENSI  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE  
AC FACVLTATIS MEDICAE IN ACADEMIA  
VITEMBERGENSI ASSESSORE

*DIE XXX. AVGVSTI A. MDCCCXXVII*  
IN AVDITORIO MEDICORVM  
HORIS ANTEMERIDIANIS

P. P.

**M. DAVID SIEGEMVND KRÜGELSTEIN** BVDISSINVS  
M. C.

*VITEMBERGAE, LITERIS CHRIST. ZIMMERMANNI, ACAD. TYF.*

DISSERTATIO ANATOMICO-PATHOLOGICA

DE MONSTRANTIBUS

VERI TEMPERA-

MENTI

IN HVMANO CORPUSCULO

CORPORIS

HYVROE CVM INFLAMMATIONE

CONVESSIONIBUS

AVT

CHRISTO GODOFREDO

STENYELLO

FOROVIENSIS

PUBLICAE ET MEDICINAE DOCTORE

AC PRAESENTI IN REIPUBLICA

VIENNAE ADIUTOR

IN ACADEMIA MEDICINA

ET CHIRURGIA

M. DCCCLXXXVIII. VIENNAE

IN AEDIBUS JOHANNIS JOHANNIS



I. **S**eponatur tandem absque illa ab antiquissimis iam tradita Philosophis, quaeque in recentiorum etiam scholas recepta adhuc firmiter hominum infixis animis haeret, de quaternario temperamentorum numero, sententia! Relegentur ad perpetui tenebras silentii inutiles & prolixae de hac materia susceptae altercationes! Dari quippe quatuor temperamenta, plurimis ex Physicorum & Medicorum cohorte est persuasum, horumque existentiam, repugnante licet ratione atque experientia, multis usque anilibus defendere conantur argumentis. Nul- lum certe, inter sapientes assensurum puto, quod prava & corrupta solidarum partium constitutio, ipsiusque sanguinis in- temperies, seu causa morborum & certa ad diversas dispositio infirmitates temperamentum possit adaequato uocari uocabulo; Praeter talem uero deprauatum humanae alias artificiosissime constructae machinae statum, nullum alium inuenio, ut hisce permotus, neque unicum amplius uerum temperamentum, ne- que tria, neque quatuor, neque septem, neque plura, prout alio- rum ridiculae desiderant distinctiones, statuere possim, sed il- lud, quod *νατ' ἐξοχήν* & proprie temperamenti promeretur ti- tulum, iam in nostro desideratur microcosmo, atque in Ada- mo, ante primum commissum peccatum, in summo perfectionis gradu praesens, eodem perpetrato, cum machinae & humo- rum in ea contentorum integritate, quae a morbis non saltem, sed ab immanissimo etiam vitalis inimico uitae, morte scilicet eandem immunem reddebat, corruptum, destructum atque a- missum fuit, ut dehinc iure meritoque idem, quod iam tempe- ramenti insignitur caractere, dyscrasias nomine possim ap- pellare atque adaequate explicando ad usum Medicum atque ethicum applicare. Eorum autem, quae paucis modo delinea- ta sunt, ueritatem accuratius & certius perspicimus, respiciendo ad ea, quae & recentiores & ueteres Philosophi de tempera- mentis, tam in describendis, quam distinguendis atque expli- candis iisdem fouerunt dogmata, eaque, instituta comparatio- ne cum diuerso sanguineae massae statu, ad solidae examen rationis reuocando.

II. Commenta Philosophorum de elementis uaria, uariando temperamentorum numero ansam dabant; ARISTOTELEM sequentes quatuor supponebant elementa, & dehinc quatuor deriuabant temperamenta. A sale, sulphure & mercurio, quae tanquam euicta omnium rerum principia allegabat P A R A C E L S V S, huius affectae tria deduxerunt temperamenta; aucto a W I L L I S I O dietorum numero elementorum, additisque adhuc terra atque aqua, incrementum etiam capiebat numerus temperamentorum. Illi, quibus uolupte erat, omnia placitis Astrologiae accommodare, peculiaria excogitarunt temperamenta, eaque a peculiari planetarum in homines influxu deriuantes secundum errantium normam siderum in septem distribuerunt classes, Saturninum nempe, Iouiale, Martiale, Solare, Venerium, Mercuriale & Lunare temperamentum, de quibus fuse egit P T O L O M A E V S *Quadrip. lib. 3. cap. 11.*

III. Alia atque a iam commemoratis discrepante methodo incedebat HIPPOCRATES, quem primum temperamenti inuentorem appellat G A L E N V S *de Nat. facult. l. i. c. 11*; iste enim duo quorumuis animantium principia, aquam atque ignem statuebat, *ξυνισταμεντα ζωα*, inquit ille, *lib. 1. de Diacrisia*, *τα τε άλλα πάντα και ο άνθρωπος από δυών διαφοροίς μέν την δύναμιν, συμφόροις δέ την χρῆσιν, πυρός λέγω και ύδατος. τὸ μέν δύναται πάντα διά παντός κινήσει, τὸ δέ ύδαρ πάντα διά παντός τρέψαι.* Aqua dehinc atque igne, aequali quantitate, secundum Arithmeticae seueritatem proportionis coniunctis, ueri praesentiam temperamenti induci putabat; altero autem prae altero excedente, & diuersis particulis, quae tum in aqua, tum in igne reperiuntur, qualitate & quantitate prae aliis auctis, ipsam generari intemperiem, & dehinc hominem diuersis affici incommodis, existimabat; hoc in apricum deducunt frequentia illius uerba, quae *lib. de Veteri Medicina* annotata leguntur: *νομίζω ψυχρότητα και θερμότητα πασιών τῶν δυναμένων ημισα δυνασύνειν ἐν τῷ σώματι. ἐν γάρ ἀνθρώπῳ και πικρόν και ἀλμυρόν, και γλυκύ και ὀξύ, και τρυφόν και πλαδαρόν, και άλλα μύρια. Ὅταν δέ τι τῶντων ἀποκριθῆ, και αὐτὸ ἐφίαστῆ γήνηται, τότε και φανερόν ἐστὶ και λυπεία.*

IV.

IV. Haec minus sollicita GALENVS perquirens medi-  
tatione, dum Senis Coi gestit fauere partibus, in ueterum  
ac cumprimis EMPEDOCLES ab HIPPOCRATE iam  
explosos errores incidebat, afferentis: quod calidum, fri-  
gidum, humidum et siccum sint rerum elementa, a quorum  
combinatione deinceps deriuanda temperamenta; enim uero, ut  
iam non prouocem ad ea, quae antecedenti adducta thesi, illa cer-  
te urgeres fas aequumque duco, quibus HIPPOCRATES *lib. de  
Ver. Med. usus argumentis EMPEDOCLES de calido et humido con-  
futauit sententiam.* Et quanquam nonnullis locis apud eundem  
*τῶ ὑγρῶ* seu humidi fiat mentio, per idem autem ille nihil aliud,  
quam sanguinem in uitali constitutum motu intellexit, uel alios  
e massa purpurea secretos humores. Hoc pariter modo HIP-  
POCRATIS mens de innato interpretanda calido; non enim  
hic peculiarem flammulam uitalem, quam *βιολύχμιον*, absfona a cul-  
linari igne ducta similitudine, uocabat GALENVS, sed rationalem,  
sub illius nomine, delineauit animam, *δοκίαι δέ μοι*, sunt uerba  
illius *lib. de carn. seu princ. edit. Zwingeri p. m. 117. ὁ καλοῦμεν θερμὸν  
ἀθάνατόν τε εἶναι, καὶ νοεῖν πάντα, καὶ δεῖν, καὶ ἀκρῆν, καὶ εἰδέναι πάν-  
τα, καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μέλλοντα εἶσθαι*

V. Non autem ea, qua modo demonstratum, ratione, tem-  
peramenta duntaxat distinguebat GALENVS, sed iisdem eti-  
am certam materiam, certumque, in quo nidularentur humorem  
attribuebat. Hunc in finem quatuor, ex quibus tota succorum  
massa esset composita, supponebat humores, sanguinem, bilem  
melancholiam et pituitam, atque a sanguine humidum et cali-  
dum, a bile calidum et siccum, a melancholia frigidum et siccum,  
a pituita frigidum et humidum deriuabat ac nouem tem-  
peramentorum classes constituebat. In quo certe HIPPO-  
CRATIS secutus uestigia, qui prioris immemor dogmatis, non  
modo sanguineae compositionem massae a dictis arcessebat li-  
quoribus, sed iisdem etiam certum assignabat fontem, et qui-  
dem sanguini cor, pituitae caput, melancholiae lienem et bili he-  
par, uel partem hepatis appositam, quam dicimus uescicam felleam.  
conf. HIPPOCRATES *lib. 4. de morb. SPOHNIVS apbor.  
nou. 21. sect. 1. de Physiol. p. m. 14.*

VI. Quemadmodum uero haec ad euincendam temperamenti in humano corpore existentiam nihil faciunt, sed potius, quando propositas de iisdem theses et definitiones exacto trutinamus ratiocinio, omnem fidem atque applausum allegatis demunt placitis, ita longissime etiam a ueritatis tramite aberrare recentiores iudico, qui dictos humores in naturali hominis sani statu desiderari asserunt. Nullus certe recentiorum, cui experientia Chymica et Physica cum humano instituta sanguine perspecta sunt, negare potest, salinas uolatiles, fixas, sulphureas et alias in eodem inueniri particulas; omnes concedere tenentur molecularum ferosarum, oleosarum, terrestrium, fibrillarumque gelatinosarum in cuiusuis corpore, in cuiusuis uasis sanguiferis praesentiam. Quis autem tam absonus erit, ut praesente materia, ex qua certus quidam humor constat, ipsius humoris praesentiam in dubium uocet. Nonne a recentioribus ipsa hic obseruata proposita dogmata ueterum, uerbis saltem immutatis? Vnde continua muci uel pituitae in naribus separatio atque excretio? Vnde similis intra articulos et iuncturas materiae origo? nonne e sanguine? Vnde uis continuam bilis in hepate, materiae flauae, cerumen dictae, in auribus secretionem deducere? Et si de terrestribus et rudioribus bilis moleculis, quas melancholiam dicebant ueteres, dubitas, instituas capitis mortui ex destillatione sanguinis, uel totius animantis combustionem residui examen, maximam terrae inuenies copiam, licet idem omnibus destitutus rationibus contra experientiam differendo neget HELMONTIVS *Oper. p. m. 53. §. 10.*

VII. Scio quidem, haec illorum ingenio minus esse accommodata, qui omnia ueterum dicta respicientes nouorum solummodo ducuntur amore, qui que affirmant: hoc modo destrui omnino eueritque doctrinam de temperamenti, et nullam amplius inter naturalem et praeternaturalem statum agnosci differentiam. Sed uelim, ut illi causam ab effectu, et principium a principio distinguant, et commissam ab iisdem temperiei cum intemperie confusionem examinent; meridiano clarius sole constabit recentiorum cum ueteribus in re consensus, solusque in uerbis dissensus manifestabitur.

VIII.

VIII. Mens mea haud est omni doctrinam de Temperamentis spoliare utilitate, quippe quae ad Praxin rite applicata Medicam, plurimum ad cognoscendos, tum curandos morbos largitur commoda; demonstrabo saltem, nullum uerum in humano corpore temperamentum amplius reperiri, atque illud, quod dicitur temperamentum, esse dyscrasiam, uel intemperiem, et de hinc intemperiem cum temperie a plurimis confundi, unde mendendi methodus ualde opere corrupta innumeris fuit referta mendis.

IX. Veteres, uti antecedentia comprobant, distinguebant in temperamentum ad pondus atque ad iustitiam; Temperamentum ad pondus, tanquam aequalem omnium elementorum, uel quarumuis particularum, uti placet recentioribus, mixtionem, sibi concipiebant; Quis autem tam aequale molecularum diuersarum, diuersa qualitate & quantitate inter se discrepantium consortium in humano corpore atque in sanguinea cum primis massa potest sibi concipere, ne dicam, demonstrare, demonstratur contrarium potius ex ipso humorum, uaria figura & mole praedictorum, examine, ex contraria solidarum dispositione partium, atque ipsis tantopere inter se pugnantibus actionibus. Nonne fructus ab arbore prohibita decerptus optimam succorum & uiscerum constitutionem, inimica sua corpori nostro qualitate, adeo immutauit, ut immutabili atque omnino aequali molecularum sanguinem componentium eucrasiae, & perpetuae hinc deriuandae sanitati atque immortalitati successerit dyscrasia & plurimarum semina infirmitatum, infirmitates ipsae, cum his succedente morte, quae mala omnia, peruersa uictus uiuendique ratione, magis magisque accumulatis auctisque causis morborum, maiorem exercuerunt faeuitiam in humoribus & uisceribus mortalium corruptis.

X. Cum itaque desit in humano corpore tam aequalis quarumuis particularum sanguineam constituentium massam mixtio, ut nulla prae altera uel quantitate uel qualitate excedat, quae uerum nobis audit temperamentum, substitutum huius loco fuit temperamentum ad iustitiam, ueteribus nuncupatum, quod certarum qualitatum, uel particularum, tam amica inter se consentientium harmonia, ut nulla corpori fieret

ret

ret iniuria, praedominium denotabat, ipso autem concessio particularum quarundam prae aliis excessu, imo eodem iam demonstrato, corrui temperamentorum fundamentum, atque in scenam prodit dyscrasia.

XI. Haec certiora reddunt magisque illustrent Philosophorum de temperamento & dyscrasia praecepta; melancholicum describunt temperamentum per terrestrium atque effoetarum & rudiorum salinarum abundantiam sphaularum; eadem melancholicae attribunt dyscrasiae principia & qualitates. Illae, quae ab iisdem in biliosi definitione temperamenti allegantur elementa, in cholericis commemorant intemperie. Ac prout in phlegmatici delineatione temperamenti, serum idque plus minus uiscidum fundamenti loco ponitur, ita in dyscrasia pituitosa, uiciata similium molecularum quantitas & qualitas accusatur.

XII. Vnicum adhuc uidetur restare, quod certissimum & iustissimum pro defendendis & stabiliendis temperamentis argumentum contrarium fautoribus dogmatis uidetur subministrare, sanguineum scilicet temperamentum. Enim uero, hic tam discrepantes, tum in definiendo, tum explicando eodem occurrunt opiniones, ut minime in tam incerta re aliquam liceat certitudinem inuenire. Quidam per sanguineum temperamentum talem humorum statum, qualem ueteres per temperamentum ad pondus describebant, & cuius in humano existens corpore superioribus explosa thesibus, intelligebant. Alii laudabilis abundantiam sanguinis & pinguis in sanguine copiam limphae inditare, asserunt; sed, ut iam silentio transeam, abundantiam particularum nutritiarum portioni alias esse diuersae figurae & molis molecularum intricatas, earumque tum quantitate tum qualitate peccantes, praeter ipsam praeternaturalem uasorum sanguiferorum distensionem a plethora deriuandam, plurimis aliis malis ansam suppeditare; ita hoc solummodo ad totam thesiam destruendam sufficit, quod laudabilem excessus particularum, quaecumque etiam eadem sint, sit aequali aduersus mixtionem, ac necessaria temperamenti requisita haud obtineat.



XIII. Ad haec respicientes alii sagacioris Philosophi mentis animaduertentesque difficultates inextricabiles ex temperiei cum intemperie confusione resultantes, temperamentis substituere certas & cuius individuo proprias fluidarum & solidarum dispositiones partium eademque *ἰδιουγενείας*, uel barbaro complexionis uocabulo insigniebant. Inficias quidem ire nequeo, ingenue potius fateor, quod improprie, peculiaris cuiusuis hominis constitutio, temperamentum possit appellari, minime autem dicere possum, quod huiusmodi notatio sit adaequata, & rei illi, de qua iam differimus, dictum iure meritoque competat nomen; ex ipsa potius origine uocis & natiuo eiusdem sensu clarum & perspicuum redditur, nostrorum mixtioni succorum temperamentum non competere uocabulum, quod a tempero deductum legitimum rerum mixtarum aequalitatem et proportionem arithmeticam adaequate et proprie significat.

XIV. Nec ex sola temperamenti descriptione atque explanatione commissos ab antiquis et recentioribus Philosophis errores ob oculos pono, attributae etiam iisdem qualitates et plura hic occurrentia phaenomena meis meditationibus fauent ulterius confirmandis. Quam absona est temperamenti, respectu sexus, distinctio, frigidum tribuunt foeminis, calidum uiris; cui uero ignotum, quod quotidiana contrarium doceat experientia; illis certe, qui huiusmodi placita ab omni penitus aliena ratione proponunt, in memoriam reuocanda generosa amazonum facinora, quibus et nostra haud carent tempora, et uirorum leporibus meticulorum res gestae, ad seponenda de discrepantibus sexus temperamentis praecipua, enarrandae. Ea enim, quae inter uiros foeminasque in moribus atque actionibus occurrit diuersitas, a diuersa deriuandum educatione, non autem a peculiaris uirtute temperiei, uti pluribus probatum argumentis *dissertat. nostra Graeca περὶ τῆς ἰσχυρίας καὶ ἀσχυρίας, καὶ φύσεως.*

XV. Tam inani pariter fundamento doctrina de Temperamentis aetatis innititur; Idem sentiendum de Temperamento totius et partium. Cum annorum incremento solidarum robur partium augeri, et uitalium dispositionem succorum multum alte-

B

alte-

alterari, res est et uulgo notissima, ad huius uero phaenomeni explicationem, peculiaris haud in subsidium uocanda crasis; Motu atque agitatione continua, motrices, ex quibus totius humanae compages machinae contexta, fibrae solidiores, rigidiores et compactiores euadunt, perpetuaque alibilium affluxu atque incuneatione atomorum ad debitam extensionem et magnitudinem perueniunt; eo autem ipso, dum solidarum constitutio partium immutatur, iisque maior in dies accedit firmitudo, alium longe motum, molem et figuram acquirunt partes fluidae, atque ex una in alteram saepius datur transitus intemperiem, unde etiam magna, non in automaticis saltem actionibus, sed in uoluntariis quoque negotiis contingit mutatio. Dehinc in specie repetendum, quod infantes magno perferendo calori sint idonei, a frigore e contra ualidopere laedantur, et raro calorem, saepius frigus in iisdem obseruare liceat; mollem quippe et maxime teneram musculorum, ossium, ipsorumque uiscerum fabricam obtinent infantes, copiosa abundant gelatina, et multo habent corpora oppleta sero, ad quod rite resoluendum atque e corpore per conuenientia eliminandum colatoria debilis debilium uiscerum motus oscillatorius haud sufficit, aucta autem temporis progressu, motricium uel oscillatoria fibrarum, successiue abundantis copia sero dissipatur, et residua succorum massa magis magisque resoluta atque in minores discripta moleculas acrior fit, ita, ut loco frigoris, adulescentes magis diuexet aestus.

XVI. Continuato ita, nulla interposita mora, cordis reliquorumque motu & functione uiscerum, haud mirandum, motrices fibras diuturna illa et Sisyphia penitus actione, ac mutuo ad se inuicem attritu, fractas et absumtas partim, partim plus iusto aridiores redditas atque omnino exsiccatas destinatis actionibus continuandis minus esse pares; languet hac de causa uentriculi et totius canalium alimentorum negotium, debilis obseruatur cordis et pulmonum systole, maximam sanguificatio exinde contrahit labem, totaque animalis peruertitur secretio; hinc gelatinosae et tenues pingues incipiunt deficere particulae, quibus corporis sustentatur substantia et uigor, e contra moleculae crassiores  
mu-

mucosae et terrestres accumulatur, quibus laterales et secretorii obstruuntur tubuli, et uiscerum infarctui innumerisque incommodis fenes affligentibus ansa datur.

XVII. Ex illis iam, quae de diuersis aetatum temperamentis adducta, facile quis colligere potest, quo suffragio distinctio inter temperamentum totius & partis sit suscipienda. A ueteribus cuius corporis parti certa attribuebatur temperies, ita calidissima hepati; calida & humidissima cordi, pulmonibus, lieni, renibus, pancreati, uentriculo, musculis, linguae, pinguedini, atque adipi; frigida & sicca ossibus, cartilaginibus, ligamentis, tendinibus & membranis; calida & sicca arteriis & uenis; frigida & humida cerebro, mammis, testiculis, spinali medullae, & neruis mollioribus; aequalis & optima cuti; uti autem cuius parti descripta modo constitutio innata credebatur, ita etiam eandem temperamentum partium appellabant, atque ab eodem totius produci temperiem opinabantur, dum a partibus calidis, frigidis, humidis & siccis, e quibus totum contextum, diuersi humores spiritusque uaporis excreti forma, totique communicati corpori, & cum totius confluio sanguinis confusi, mixti, intimeque subacti, unum constituerent compositum. Haec quidem satis ingeniose, uti tunc temporis philosophandi ferebat ratio, excogitata, nullo autem rationali argumento, nulloque certo ab experientia petito fundamento suffulcita inueniuntur, postquam indefesso HARVAEI, uestigia Cui Senis sequentis labore, & singulari penitus prudentia, sanguinis per totum corpus circulatio accurate demonstrata atque explicata fuit, a qua omnis in corpore calor, frigus, siccitas & humiditas deriuanda; alget ita hepar, cui calidissima tribuebatur temperies, & quod natiui fons calidi & uitalium officina spirituum nominabatur, quando sanguis limosis onustus particulis, tardius, quam par est, circulum suum per idem absoluit, aut quando dictum uiscus scirrhus laborans uitalibus transitum succis omnino denegat; perit calor cum motu cordis, & nullum maiorem, quam alibi sanguini inesse calorem, docet thermoscopium uiuo atque in motu adhuc constituto immisum cordi; nec

sanguis potest dici calidus, nisi in progressiuo constitutus motu, atque ab eodem deinceps omnis in toto corpore prouenit calor tam naturalis, quam praeternaturalis; purpurea enim humorum massa e cordis uentriculo sinistro, systoles adiumento, in aortam proiecta arteriam, nisu obliquo ad angulum fere acutum pergens in dicti latera uasis impingit, quod exinde dilatatum spiraliu ope fibrarum se denuo constringens ulterius sanguinem protrudit, dehinc maxima sanguinis moles ad arcum allidens eundem distendit, idem distentus se contrahit, contractus succos antrosum & retrorsum premit; quouis exinde momento cuius sanguinis sphaerulae alius conciliatur motus, nixus, rotatio, continuaque hinc fit angulorum, fibrarum & globulorum subtilissimorum attritus, attenuatio, mutuaque diuersarum particularum combinatio; ex illis autem deinceps, tum legitima fluiditas, tum calor, color, frigus & plura alia accidentia emergunt.

XVIII. Legitimi itaque praesentia caloris, indicat, secundum datam, in corpore humano, demonstrationem, mutuam, constantem & fortem cordis atque arteriarum systolen & diastolen, conuenientem humorum circa propriam axin rotationem perpetuamque agitationem, & dehinc prouenientem ualidam illorum ad partes propulsionem, quibus magna circa elasticorum fines uasorum resistentia addenda; aestus igitur uehemens omnium allegatarum causarum uehementiam atque augmentum denotat, cum calor imminutus omnia significet contraria, eaque eo fortiora, quo maius, loco caloris, sentitur frigus.

XIX. Nulla hoc modo corporis pars potest dici calida, cum omnes omnem a motu sanguinis mutuentur calorem; Quod autem, tanquam peculiare solidarum partium, uiscerum in specie, accidens accuratiorem promeretur considerationem, est singularis, admiranda atque a se inuicem multum discrepans fabrica, ex fibris & hinc efformatis diuersae magnitudinis & figurae tubulis, uasis & membranis laxioribus & rigidioribus coagmentata; Sic solidiore & compactiore cor gaudet substantia; firmior pariter fibrarum compages in renibus apprehenditur; pul

pulmones laxiorem & molliorem tubulorum & uescularum contextum exhibent; similis ferme in liene obseruatur dispositio; ossa, quae in embryonibus molliorem fibrarum unionem repraesentabant, atque a cartilaginum haud multum recedebant substantia, tantam successu temporis acquirunt duritiem, ut iisdem tota corporis moles, tanquam trabibus suffulta sustentetur; minime autem de ossibus dicere possum, quod sint partes penitus siccae, idem enim iam ex priore illorum statu atque origine demonstratum, inest & communicatur iisdem alibilis continuo limpha ad destinatam eadem prouehens magnitudinem, imo, iam absoluto eorum incremento, perpetuo unctuosae materiae affluxu ad legitimam conseruandam flexilitatem, atque ariditatem nimiam praecauendam, irrigantur; multo minus siccam temperiem cartilaginibus, tendinibus & membranis possum attribuere, cum illae humore intus contento easque alluente semper madidae in sano obseruentur statu.

XX. Rigiditas uero & laxitas, durities & mollities sunt propria solidis accidentia partibus, atque ex legitimo illarum tono, tanquam medio inter laxitatem & rigiditatem statu, optima solidorum constitutio, quam fibrarum possemus nuncupare temperamentum, aestimatur. Quis autem talem solidarum dispositionem partium possidet? corruptionis atque intemperiei cum ipso conceptionis momento ponuntur fundamenta, maxime laxa adest in embryonibus fibrarum constitutio, uitales, continua allisione, succi, atque alibilium communicatione particularum, mutant solida, a diuerso uice uersa solidorum motu alterantur fluida; Cum itaque iam euicta sic ueri in humani humoribus corporis temperamenti absentia, & dyscrasias e contra stabilita praesentia, in nullius fibris & solidis hinc constructis partibus exactam inter rigiditatem & laxitatem proportionem animaduertemus, sed in altero erunt plus iusto laxiores, in altero rigidiores.

XXI. Adductis ita inductus rationibus minime credere queo, sic dictorum signa temperamentorum, optimae pariter et singularis indicia sanitatis esse; sanguineam crasim cognosci asserunt

runt pilis rarioribus, flauo - albis, fuscis, carne molli, copiosa, uenis amplis, coeruleis, sanguine distentis, colore faciei roseo, animo ad iracundiam prompto et generosorum cupido, corpore maxime agili; haec autem non bonam, quibus sanitas potest conseruari, corporis dispositionem, sed sanguinis abundantiam, solidarum partium laxitatem, praeternaturalem uasorum dilatationem, acrium copiam particularum indicant; unde illis parcior uictus, uel omnimoda a cibo et potu per unum alterumue diem abstinentia, una cum euacuantibus et temperantibus, conducunt, et quaeuis acria, stimulantia et largum suppeditantia chylum nocent; hoc melius potes addiscere ex symptomatibus, quibus sanguinei sunt obnoxii, haud operae pretium, de proeliuitate ad libidinem multa commemorare, expendamus saltem spontaneam lassitudinem ex sanguiferorum distensione uasorum et succumbentium pressione neruorum prouenientem, his addendae frequentes haemorrhagiae, apoplexia sanguinea, syncope a sanguinis proueniens plethora; nonne hinc certa ad plurimos morbos in sanguineis colligeuda dispositio? nonne diuersorum praesentiam malorum iam animaduertis?

XXII. Quid aliud nunc iudicabis de biliosae signis temperiei, quae a pilis copiosis, nigris et crispis, musculorum duritie partium, gracili et macilento torius corporis habitu, colore faciei fusco, uenis magnis, pulsu forti et celeri, pertinacia, iracundia, sed breui detonante furore desumuntur; Quem autem later, haec omnia denotare fibras motrices aridiores et rigidiores, uasa minus porosa, nimiumque contracta, humores ualde agitados atque acres biliosos, hinc siccitas in toto corpore, hinc sitis in ore, hinc phlogoses & dispositio ad febres biliosas, hecticam & alias acutas; commendamus etiam illis ex hoc fundamento, diluentia, humectantia, refrigerantia, nitrata & tartarea, e contra uolatilia aromatica, potus generosos disuademus.

XXIII. Nec aliter maior cutis glabrities, pili albi, tenues, tarde succrescentes, pallor in facie, idemque per totius resplendens corporis superficiem, quae phlegmatico tribuuntur temperamento, explicari possunt, quam praeternaturalis praesentiam status demon-

demonstrando, qui in uenis angustioribus, tubulis lateralibus laxioribus, amplioribus et alibili infarctis limpha, motricium flacciditate fibrarum et pituitosae abundantia materiae, ac dehinc proueniente appetitu prostrato, frequenti catarrhorum incurfu, ipso cum primis catarrho suffocatiuo, apoplexia pituitosa consistit. Quem in finem quoque his uolatilia et salino fixa, aromatica, carnes assatae atque exsuccae, cum parciore inter prandium et coenam potulentorum usu, atque omnimoda reliquo tempore abstinentia praescribuntur, omniaque refrigerantia et humectantia interdiciuntur.

XXIV. Melancholicae denique indicia temperiei dicuntur glabrities, pili nigerrimo tincti colore, summus totius corporis marcor & habitus fere marasmodes, ut magis sceleton ossibus succinctum, quam uiuum & sanum uideantur repraesentare hominem, intensa in toto siccitas corpore, atro facies deturpata colore, idemque omnibus inhaerens partibus, in agendis cunctatio rebus, constantia, iracundia, eaque diutius perseuerans, maxima iudicii *angustia*, si legitima accedat mentis cultura. Hic autem minime naturalis sani hominis status describitur, sed plurima miseriae humanae symptomata plurimique graues morbi enarrantur, quorum origo ex uasis nimium contractis, aridis atque elasticis, humoribus nimium densis, glutinosis & terrestribus firmiter inter se cohaerentibus & hinc difficulter separabilibus & mutabilibus deriuanda, ac quibus, euitatis omnibus acerbis, calidis & siccis, diaeta humectante, emolliente, laxante & refrigerante, similibusque usu remediorum succurrendum.

XXV. Quae porro de calidi, frigidi, humidi & siccis signis temperamenti commemorantur, ad priores merito classes reuocari possunt, dum caloris, frigoris, siccitatis & humiditatis diuersitas a diuersa solidarum & fluidarum partium constitutione, uarioque motu dependeat.

XXVI. Palam hinc fit, nos minime uerbis solummodo ludere, sed de maximi re momenti, humanae scilicet conseruatione sanitatis certamen subire; adeoque cum iam demonstratum,  
uiuen-

uiuentis statum hominis male minusque adaequate tempera-  
mentum appellari, nunc ulterius enodabimus, quale dehinc  
detrimentum tum in methodum praeseruatoriam, tum curatori-  
am redundet. Contraria cuiusuis constitutioni uel sic dicto  
temperamento conducere alimenta & medicamenta ad praesen-  
tis prosperaeque tutelam sanitatis, thesibus antecedentibus 21,  
22, 23, & 24, indicatum; cum alias temperamentorum fautores  
similis per simile conseruationem suadeant; ast attenta quae-  
sente ea perpendant, quorum superius iniecta mentio, con-  
trarii confirmationem dogmatis inuenient. Eo utique in  
*ὄγιστον* seu methodo praeseruatoria omnis solertia & cogitatio  
debet esse directa, ut sufficientem succorum, non similibum, sed  
contrariorum quantitatem reparemus; Quid enim alias hoc ne-  
glecto fiet? aucta certe, per similia, intemperie, morbus eborietur.  
Propines homini sic dicto temperamento phlegmatico laboran-  
ti, si adhuc de huius certitudine dubitas, copiosa iuscula, ali-  
menta sero abundantia; copiosum eidem ordines po-  
tum, simile hac ratione per simile conseruatur, sedulo  
autem obserues, quid dehinc eueniat; nonne accumulata  
magis magisque feri quantitate, maior fit lateralium dilatatio tu-  
bulorum, uasorum sanguiferorum & neruorum adiacentium &  
succumbentium compressio, atque irreparabilis fere motricium  
laxitas atque atonia fibrarum; aliter de his sensit HIPPOCRA-  
TES, suadens *Aphorism. 3. Sect. 1. τὴν εὐεξίην μὴ βραδέως λύειν*,  
h. e. ipsam *κακίαν*, quam improprie atque ironice *εὐεξίαν* ap-  
pellat. Cuius nos, ea, qua fieri potest, celeritate, cum totius  
emolumento corporis soluere.

XXVII. Soluenda & liberanda hac methodo cuiusuis ho-  
minis machina a praedominantium saburra impuratum, quae-  
cunque etiam eadem sint, eaque semper adhibenda, quae ul-  
teriori praesentis dyscrasiae incremento & exinde oboritur  
morbo resistent; nulla enim alia inter naturalem & praeterna-  
turalem statum datur differentia, quam quod in praeternaturali  
non saltem morborum semina, sed ipsum etiam effectum cum  
diuersis aliis symptomatibus iam inueniamus, quae adhuc in sa-  
no



no hominis statu defunt, praesente saltem causa morborum antecedente, tanquam latente in succis & solidis partibus ad infirmitates dispositione; huius itaque, antecedentis nempe morborum causae respectu, βλας ὁ ἀνθρώπου ἐκ τῆς γενετῆς νόσος; dici meretur, secundum Dogmaticae Parentis Medicinae effatum, *Epist. ad Damagetum*, a GVIDONE PATINO in *Comment.* ad hunc *aphor.* & SPOHNIO *aphor. nou. i. Sect. 2. de Pathol. p. 53.* citatum, temereque a STAHLIO mentem Hippocratis non percipiente, tanquam autoritatis praeiudicium reiectum, *Med. Dogm. Syst. de Pathol. Part 1. Sect. 1. p. 8.*

XXVIII. Non autem dehinc suaserim, ut homines continuo utantur medicamentis, potius talia alimenta et potulenta sunt usurpanda, quae praedominanti dyscrasiae corrigendae inferuiant, eaque de illis exhibenda quantitas, quae indicationi ex statu hominis formatae sufficiat; minime autem de eorum, quae in corpore excedunt, qualitate debent participare; ex his autem cognoscimus, nihil per se et absolute esse salubre uel insalubre, sed respectiue, ita ut idem, quod huic conducit praesentem diminuendo intemperiem, alteri obest, praedominantis dyscrasiae augmentum promouendo; saluta alteri profunt, nocent eadem alteri: similiter acida aliis utilia, noxia eadem aliis,

XXIX. Iam uero contra stabilitam haecenus sententiam de temperamenti in homine defectu, et dyscrasias in eodem praesentia, obiectionem formas ab illorum exemplis petitam, qui per totum aetatis decursum uitam omnis expertem infirmitatis duxerunt; allegas ruricolos, qui caseo, butyro, lacte, atque ex lacte parata pulcicula uescentes, atque aquam haurientes, optima, per longiorem annorum seriem, fruuntur ualitudine; Haud ignota mihi est ARTEMIDORI apud PLINIVM *H. N. C. 7. c. 2.* historia, referentis, in Taprobana insula, homines longissimam uitam sine ullo languore traducere; Perspectum mihi est, ex testimonio CORNELII NEPOTIS *in uit. Attici c. 25.* tanta Atticum ualutudinis prosperitate usum, ut annos triginta medicina non indiguerit. Enim uero ubinam datur illa insula, in qua tantam, absque ullo incommodo, longaeuitatem mortales acquirunt

runt, et si datur talis insula, uel similis huiusmodi locus, non hinc euincis veri praesentiam temperamenti; melior aeris dispositio, conueniens, in sex rerum nonnaturalium usu, ordo, adhibita in specie alimenta, potulenta et medicamenta, quae praedominantem dyscrasiam corrigunt, sunt media, quibus quiuis morbi praecaentur, sanitas conseruatur, et longaeuitas acquiritur. Cum itaque haec Atticus sedulo obseruarit, haud mirandum, eundem ad eam, absque omni, per triginta annos, morborum incurfu, peruenisse senectutem.

XXX. Quanquam etiam reperiantur homines, ac cumprimis rustica gens, quae uno eodemque semper utens uictu per longa temporis interualla, imo integras aetatum periodos immunem morbis degit uitam, dehinc certe non demonstras, quod idem fiat simile per simile conseruando, sed contrarium contrario alterando; est res notissima et plurimis experimentis et ratiociniis chymicis comprobata, quod sanguis hominum laboriosorum alcalini abundantia salis infectus sit; notum pariter est, acidum in lacte et ex lacte paratis residere. Corrigitur ita quotidie alcalini acrimonia atque excessus salis, lacteorum atque aliorum acidorum usu, quibus uestuntur ruricolae, et cum continuo, eoque fortiore motu atque attritu, ea quotidie alcalinarum copia particularum regeneretur, ad bonum conseruandum statum semper aquosa, et acido instructa sale alimenta, alcalino contraria requiruntur, qualia sunt lac et lacteae puliculae, acetosa, acetosella, lactuca, optima ruricolae gentis fercula.

XXXI. Tantum autem abest, ut, dum alcalini abundantiam salis laboriosorum hominum sanguini inesse, assero, OTTONIS TACHENII sequar castra, qui in acido calidum natuum, et humidum radicale in alcalino sale quaerendum esse, in *Clave Hippocratis Chymic.* existimat; Ex utriusque quidem combinatione acquiritur sal neutrum, seu hermaphroditicum; at enim uero, et idem minime aequali particularum constat consortio, nec omnibus dicta conueniunt salia; nitrum est praestantissimum alias inter ea remedium, dantur tamen plura subiecta, quibus usus dicti remedii maxime funestus est, atque ex illius quoque abundantia plures oboriuntur infirmitates.

XXXII.

XXXII. Sanguinea enim massa non ex sale saltem neutro constat, nec eidem solummodo insunt particulae alcalinae & acidae, sed hic congeriem innumerarum particularum oleosarum, sulphurearum, salinarum, terrestrium, diuersa figura et mole praeditarum deprehendimus, quae omnes aqua tanquam ordinario uehiculo per totum traducuntur corpus, et quouis momento nouam subeunt mutationem.

XXXIII. Insufficiens hinc est distinctio in dyscrasiam alcalinam atque acidam, plures et innumerae aliae dantur; nunc enim quantitate reliquas superant particulas serosae tenues; nunc phlegma non tam quantitate, quam qualitate peccat, et nimis uiscosum et tenax morbis diuersis praebet fomitem; interdum quantitate et qualitate simul excedens, tum uisciditate atque abundantia, tum uisciditate et defectu machinae humanae noxium atque incommodum existit.

XXXIV. Praeterea intricatae haerent sero particulae salinae, sulphureae, oleosae, & terrestres diuersae indolis et dispositionis; Salia utique diuersa acida, alcalina, muriatica, aromatica et neutra sanguini inesse, docet diuersus uictus, de cuius indole tota sanguinea massa participat; demonstrant idem tot discrepantis humores genii e sanguine secreti, e quibus allegata principia chymica eliciuntur; In bile ita sal salinum uolatile atque oleosum nunc parciore, nunc uberiore sero copia dilutum et temperatum inuenimus; Salino-acidas, alcalinas, muriaticas, terrestres, oleosas et uiscosas moleculas ostendit nobis diuersorum lotium subiectorum; Atque eandem particularum farraginem ex uario sudoris odore et reliquis accidentibus cognoscimus.

XXXV. Haec illis merito inculcanda, qui acidi praesentiam salis in sanguineae contextu massae negant. Scio quidem eosdem hic distinguere inter statum naturalem et praeternaturalem; sed status ille naturalis, quem sibi concipiunt, est petitio principii, admitto omnino eundem respectu effectus et causae proximae, non autem respectu sic dictae causae antecedentis; contrarium autem probari urges experimentis chymicis, quibus sal neutrum ex destillatione sanguinis omniumque partium corporis

poris humani, ne tantillum autem salis alcalini uel acidi acquiratur; Loqueris certe hic contra experimenta uulgaria, quibus acidi salis in humano existentia corpore per lac e sanguine secretum confirmatur; lac, ais, non e sanguine fecernitur, sed ipse est chylus ex intestinis per lactea primi et secundi generis uasa ad cisternam Pecqueti et ductum thoracicum deriuatus, mammisque, peculiariu ope uasorum, communicatus; Quomodo autem porro tuam confirmabis sententiam, quando uasorum a te suppositorum defectus demonstratur, quando foeminae lactantes, quae per totum diem nulla assumerunt alimenta, nullumque in canale alimentorum praepararunt chylum, lac in mammis secretum exhibuerunt.

XXXVI. Multo minus nunc de alcalini salis in humano corpore praesentia dubitare licet, idem tibi continuo manifestat urina sudoris instar in renibus e sanguine secreta, idem in salina, limpha oesophagi, uentriculi, intestinorum, bile, succo pancreatico saepius animaduertitur; atque eo maior illius generatur copia, eo maior quoque illius existit acrimonia, quo magis uehementiori corpus exerceat motu, mentique, omnem ferme, meditando et lucubrando gratioribusque animi affectibus nimium indulgendo, interdicens quietem, atque alimentis et potulentis eodem abundantibus sale frequenter uteris.

XXXVII. Motu enim fortiore salinas acres alcalinas in uiuis generari animantibus, docent animantia in siluis degentia, quae continuo se exercentia motu, serosas dissipant particulas, salinasque acunt, et ex uictu herbarum, fruticum et arborum alcali abundantium cumulant; Ferae igitur prae aliis animantibus maiorem alcalini copiam salis possident; gaudent pariter eodem reliqua animantia, idem tamen ab aliarum consortio molecularum uarie est temperatum, unde uarius etiam ab illarum usu effectus, uariumque tam emolumentum, quam detrimentum humano communicatur corpori.

XXXVIII. Quod haud leuem hominibus alcalinum sal afferat noxam, non saltem plurimae febres continuae, mortales uehementium syndrome symptomatum misere excruciantes, quae ex  
alca-

alcalinae uirulentia acrimoniae oriuntur, acidisque curantur remediis, confirmant, sed idem etiam ictu uiperarum, serpentum, morfuque canum rabiosorum, et hinc abortis symptomatibus manifestatur; acre enim saponaceum uolatile, ex salibus atque oleis intime diuisis, putrefactis mixtisque in dictis progenitum animantibus hominique per morsum communicatum, solidis partibus uehementius exstimulatis, auctoque illorum motu, fluida nimium resoluit, serumque dissipando tenue, salium acrimoniam intensiorem reddit, et residuam limpham spissiore faciendo omnino coagulat, et hinc in diuersis partibus et uisceribus repentinam et uehementem affert inflammationem gangraenam sphacelum, ipsamque mortem.

XXXIX. Eo uero citius, eo certius atrociora uenenati morsum animantis sequentur symptomata, quo maior in laeso subiecto peccat atque excedit dyscrasia alcalina, quae dehinc aucta, in effectum, uehementem scilicet morbum deducitur; deinceps, quo rigidiore hominis uulnerati sunt nerui, et quo magis uenenatum animalculum irritatum maiori impetu in partes corporis irruens neruosque per imperforatum dentem, uiolenta inducta diuulsione irritat, pungit et uellicat, eo uehementiores dolores, ardores, conuulsiones aliaque ingruunt symptomata.

XL. Haec utique mechanicis legibus atque unionis necessitati quam optime consentiunt; neruulus enim ab animalculo diuulsus et commorsus uenenato, non saltem uehementius irritatur, sed dicta etiam ratione soluitur, solutus, altera, per uim suam elasticam, resilit parte, altera uero tensus atque exstimulatus, connexos, uellicando, in consensum trahit neruos, eandemque iisdem imprimit motus ideam, unde, perturbato omnino liquore neruoso, huiusque aequali et libero ad partes influxu deprauato, ad piam usque et duram continuatur matrem, quae una cum fibris musculosis exagitatae contractaeque, extremitates ualorum magis coarctant atque occludunt, succorumque per easdem transitum cohibendo, stagnationem inducunt, ubi deinceps tenuibus particulis per laterales tubulos porosque secedentibus,

tumor, rubor, residuae coagulatio massae, ardor, sitis, febris, convulsio, deliria, gangraena oboriuntur. conf. MELCH. FRICCI-  
VS *Paradox. Med.* 7.

XLII. Adficitur itaque hic tum sanguis, alcalini copia atque acrimonia falis aucta, tum ipsae fibrae nervosae, uellicatione, in motum tumultuarium & praeternaturalem abreptae. Acre acidum, loco alcali, hic accusat LEMERY *Traite des Aliments part. 2. chap. 10. p. 261. 262. & chap. 82. p. 460*; alcali autem copiosum, quod ex uiperis destillatis & combustis acquirimus, cum ne granulum acidi obseruetur, uidetur omnino LEMERY sententiam euertere.

XLIII. Acre autem illud saponaceum uolatile, quod quibusdam perniciosissimum est uenenum, aliis praestantissimum affert auxilium; quibus enim copiosum in sanguine acidum, quibus exinde diuersi contingunt morbi, illis haud meliore remedio, quam alcalino succurri potest; hinc quidam homines terpenes & uiperas absque omni noxa non saltem secum in sinu portant, sed etiam uasis, in quibus potulenta, quae bibunt, continentur, ingerunt; hinc quidam, absque omni noxa, cum emolumento, carne dictorum animantium uescuntur; imo quidam ipsas araneas, tanquam optima gulae fercula in deliciis habent, nec ullum ab iisdem patiuntur incommodum, idemque spiritus nitri maxime acidi usu praecauent, uti LINDESTOLPE *tr. de Venenis* refert; idem usu uiperarum & remediorum ex illis paratorum in cura elephantiasis constat; idem constat plenaria acidi acerrimi per uiperina remedia correctione; Accipias ad demonstrandam huius rei certitudinem, spiritum nitri maxime acidum, omnis euanesceat aciditas, sufficiente uiperini falis quantitate iniecta.

XLIII. Cum itaque pro comperta iam habeatur alcalini praesentia falis in animantium carnibus, exinde etiam cognosci potest, plures homines, alcalina affici dyscrasia, & praestantissima remedia *προφυλακτικά* esu carniū delectantibus, esse subacida; hoc neglecto, naturalis ad uehementes mentis & corporis commotiones atque exacerbationes dispositio confirmatur, & febres acutae oboriuntur; Anglorum exemplo dictum do-

gma

gma illustratur, qui carniū esu maxime delectantur, potuque maxime calido atque acri, POVN dicto utuntur, unde maxime tenuem acremque alcalinum obtinent sanguinem, ad concipiendum acutarum febrium ignem maxime procliuem; Contraria e contra deprehenditur constitutio sanguinisque dyscrasia in Belgis, qui lactiniis assueti, scorbuto seu intemperie uiscida atque acida laborant, & hac de causa frequenter febribus intermittentibus quartanis, tertianis, aliisque morbis chronicis diuexantur.

XLIV. Praecipue sanguinis constitutio & dyscrasia pro uaria primorum staminum dispositione uariat, quae deinceps per aerem, alimenta, potulenta, motum, quietem, somnum, uigilias, animi pathemata & proprias cuiusuis partis functiones multum alteratur, & nunc corrigitur, nunc magis deprauatur; nunquam tamen eo rem redigemus, ut legitimam massae sanguineae crasin aequaleque quarumuis particularum consortium reddamus; primum enim difficili negotio in noticiam praedominantis dyscrasiae peruenimus, deinceps perspecta excedentium qualitate particularum nos iterum latet quantitas; Quomodo autem, his ita constitutis, certam possum convenientis remedii mensuram praescribere, qua ita praefens corrigatur intemperies, ut uera restituatur temperies?

XLV. Appropriatorum omnino usum remediorum eo usque commendare possumus, quo omnis mali, omniumque symptomatum lerna, qua aegrotus quasi septus erat, dispereat, hoc autem non certum intemperiei penitus immutatae, & restituae uerae craseos, sed subactarum & correctarum praedominantium impuritarum est indicium; hinc etiam obseruamus, quod post profligatos morbos, leuissimo, in sex nonnaturalium usu reum, commisso errore, ipsaque iterum aucta impuritarum maximam partem iam subactarum atque euacuatarum copia, prior redeat infirmitas, eaque grauioribus saepius supata symptomatibus.

XLVI. Existimariū nihilo fecius, adhuc aliquam nobis spem, ueram restituendi crasin, affulgere, si una tantum particularum excedentium adesset species, omnis autem euanescit, dum diuersarum particularum heterogenearum & quantitate

titate peccantium copiam perpendimus, dum luxum in uictu, dum motus, quietis, ueneris, somni aliarumque similibus rerum abufum, summamque atque eam haereditariam succorum & solidarum partium corruptionem examinamus.

XLVII. Interdum enim complicata est dyscrasia acida cum uiscosa; quandoque alcalina excedit acrimonia haerens in pituita uitrea; saepius acrimonia muriatica uel ammoniacali similis sali abundat cum sulphure; nonnunquam acrimonia aromatica oleosa succos & uiscera corrumpit; multoties serum tenax & glutinosum particulis onustum terrestribus & salinis effoetis remoram libero sanguinis circulo ponens, uiscerum obstructions, polypolas concreciones, & exinde prouenientes cordis palpitationes, dyspnoeas, hepatis scirrhus aliaque similia parit mala.

XLVIII. Allegatas autem dyscrasias species in humano inueniri corpore, docent praesentia, quibus aegroti affliguntur, symptomata; confirmant idem antecedentia, haereditaria scilicet parentum constitutio, naturalis loci, in quo uiuunt, aeris, terrae, & aquae, quibus fruuntur, indoles, usus alimentorum & potulentorum diuersorum diuersus; demum haec omnia euincuntur exoptato contrariorum esculentorum, potulentorum & medicamentorum praescriptorum successu.

XLIX. Cum uero nobis occultum, quid intus in humano geratur corpore, quaeque in sanguinea intemperies massa praedominium obtineat, attenta examines mente, quae tibi circa actiones corporis occurrunt phaenomena, eaque in memoriam reuoces, quae antea fuerunt peracta; Vtus ita frequens carniuum, cumprimis ferarum, uehemens corporis motus, mens grauibus crebro exacerbata pathematibus, nimius ueneris usus, aer nimium calidus et siccus alcalinam gignunt acrimoniam; huius autem praesentiam tibi manifestant cadauerosus oris totiusque corporis foetor, perpaucus isque hircum olens sudor, urina sapore putrefactae similis similemque obtinens odorem, et spumam copiosam ostendens, cum multa intus contenta materia crassa, atque interdum globulis oleosis summitati illius innatantibus, et tibus gelatinosis intus subsistentibus; ingens sitis, oris siccitas ferme



me continua, prostratus appetitus, solidorum cumprimis et calidorum auersatio, fluidorum e contra et frigidorum desiderium; feces alui sunt solutae cadauer olentes; cutis totiusque corporis habitus externus aridus; nares pariter aliaeque partes debito destituuntur humore, et frequenti tentantur pruritu; saepius in cute contingunt erosiones plumbeae, cinericeae et nigrae, eaeque breui temporis spatio ulterius serpentes se latius diffundunt; haud raro quoque hic generantur pustulae nigrae gangraenosae, bubones, anthraces, maculae purpureae, inflammationes acutissimae, sphaeceli cum bullis eleuatis, serosis et putridis; Si sanguinem dyscrasia alcalina laborantium inspiciamus, iste secundum uulgi mentem, admodum bonus uidetur, tenuis enim et floridus est, ac uix concreuit, ab iniecto autem acido efferuescit.

L. Descripta iam tibi exhibentur signa, quibus alcalinae praesentiam dyscrasiae cognoscere potes, quaeque te instruunt, quid tum ad sanitatem praesentem tuendam, tum ad morbos hinc obortos curandos, faciendum; Totum negotium totumque Medici officium innititur legitimo legitimorum acidorum conuenienti dosi praescriptorum usu, a quibus certissimum hic expectandum iuuamen; commutari etiam facile possunt acida fortiora cum mitioribus, et mitiora cum fortioribus, si circumstantiarum necessitas idem urgeat; imo acida cum serosis combinanda, quando defectus seri symptomata exasperat, et maius sanitati minatur periculum, atque idem tam uictu, quam medicamentis perficiendum.

LI. Dum autem ea suscipiuntur et peraguntur, uehemens motus, esus carniū, cumprimis ferarum, spiritus uini, pulueres alcalini plantarum, ipsaque etiam infusa ex huiusmodi herbis parata, et similia, quae alcalino abundant sale, euitanda, a crebriore ueneris exercitio abstinendum; fugienda similiter ea, quae mentem exacerbando, tumultuarium in succis motum excitant, quietique tum corporis, tum mentis prorsus indulgendum.

LII. Contraria dyscrasiae alcalinae est acida, eaque ex acida totius corporis atmosphaera, ructibus acidis similem gignentibus saporem, pallido labiorum colore, eiusque in gingiuis praesent-

fentia cum erosione lentiore; fitis haud adeo hic urget, appetitus saepe ingens obseruatur, eumque celeris sequitur digestio, feces alui tardius, parcius et cum torminibus deiciuntur, eaeque acidum spirant odorem; frequens illis accidit stranguria, urinaeque reddita alba, crassa, cum copioso et uisoso sedimento, sudorem experiuntur multum, eumque acidum; habitus cutis existit modo laxior, modo strictior; praeterea dicta laborantibus intemperie saepius contingunt asthma, obstructions atque infarctus lienis, hepatis, pulmonis, nec non inflammationes tardius procedentes, uti ipsa quoque sanguinis ex secta misa uena indoles demonstrat, crassus quippe, niger uel pallidus manifestum allegatae intemperie, et ab alcali affuso turgescit, resoluitur ac rubicundum contrahit colorem.

LIII. Si hanc rite uis corrigere dyscrasiam, de eiusdem origine expiscanda sis sollicitus, communicata enim eadem in conceptione exordio, et per haereditatem quasi tradita, difficilis, ne dicam impossibilis est eiusdem extirpatio, quia tota humorum massa, omnesque exinde secreti succi, in diuersis residentibus uisceribus, eiusdem sunt participes; alimenta itaque et potulenta assumta in similem rediguntur succum, dum acidae huiusmodi dyscrasiae particulae, fermenti instar, ciborum et potulentorum interstitiis se insinuant, eadem diuellunt, fermentationeque in illis excitata, atque iisdem ad similes motus et figurae leges redactis, eandem qualitatem et naturam tribuunt. Ex allegata ita ratione saepius contingit, ut dispositio ad tristitiam et *(symptomata)* melancholica ab auiis et parentibus ad filios et nepotes *(pro)* pagetur; ea uero quae de acida, haec etiam de reliquis dyscrasiae speciebus dicta uolumus, ad demonstrandam difficultatem haereditariorum morborum medelam.

LIV. Aliter autem se res habet, quando aliquis ex frequenti acidorum alimentorum et potulentorum usu, moerore et uita sedentaria acidarum particularum congeriem accumulauit, tunc utique contrario uictu, animo hilari et frequenti conuenientique corporis exercitio, eadem dyscrasia emendari atque eliminari potest, in specie, si accedat remediorum alcalinorum fixorum et uolatilium usus. LV.

LV. Cautè tamen in alcalinorum uolatiliùm præscriptio-  
ne procedendum, cum nunquam solam deprehendamus dyscra-  
siam acidam, sed eandem nunc cum nimia succorum tenuitate,  
nunc cum eorum crassitie coniunctam, nunc feri legitima dosis  
hic deficit, nunc idem una cum acido abundat sale; Volatilia  
hinc alcalina in serosarum acidarumque abundantia impuritatum,  
fixa uero cum serosis in uisciditate cum acida intemperie com-  
plicata conueniunt; In nimia autem succorum resolutione  
gummosa cum terrestribus alcalinis, qualia gummi tragacan-  
thum, sanguis draconis, lapides cancrorum et similia præscri-  
benda; e contra generosiora resoluentia, qualia salia uolatilia oleosa,  
essentia castorei uolatilis, guttis quibusdam olei stillatitii succini  
iuncta, in dyscrasia acida et succorum coagulatione commendanda.

LVI. Maxima pariter dictorum remediorum, nempe alcali-  
norum & uolatiliùm oleosorum est utilitas in corrigenda dyscra-  
sia pituitosa et uiscosa, quam ex frigore & frequentibus in diuersis  
corporis partibus tumoribus, difficili respiratione, anxietate  
circa præcordia, tardo paruoque pulsu, tardae indicio succo-  
rum circulationis, quam tarda uel impedita omnino sequitur  
secretio atque excretio animalis, & succi, qui excernuntur, lar-  
gam pituitae copiam ostendunt; tota solidarum compages est  
maxime arida; hinc torpor in suscipiendis & perficiendis actio-  
nibus, summa corporis lassitudo ac frequens & diurnus som-  
nus adest, deest uero ad sustinendas diutius uigilias aptitudo.

LVII. Prouci uero hic salia & tenues serosae particulae  
partim deficiunt, partim a copia pituitae obruta atque obuolu-  
ta haud agere possunt; ita cumprimis uiscosae pars dyscrasiae  
per emetica, purgantia & saluationem mercurialem remouen-  
da, serum tenae deficiens restituendum cum sufficiente salium  
resoluentium quantitate, quod omnium optime per largiorem  
infusorum ex herbis aromaticis paratorum dosim, per usum  
thermarum atque acidularum tam naturalium, quam artificiali-  
um impetrari potest; constat ita, quosdam summa affectos ma-  
cie, post peractam, mercurialium ope remediorum, saluatio-  
nem, obesos factos; uiscoso enim humore resoluta, uiae ob-  
structae, cumprimis tubuli laterales referantur, hinc liber nu-  
tricii

tritii accessus succi ad partes nutriendas; praeter haec fibrae motrices a uiscida, qua antea onerabantur, materia liberatae, liberiori nunc iterum litantes expansioni & contractioni, succos melius attenuare ualent, hinc nouus laudabilis & nutritiae limphae prouentus.

LVIII. Serosa autem; quae cum resolutibus hic commendari, omnino euitanda, si tenax adsit pituita & tenue simul abundans serum totam corporis compagem reddat laxiorem, eandemque in magnam attollat molem; conducunt hic potius salino-fixa pauco exhibita uehiculo, conducunt similes essentiae, similisque etiam uictus praescribendus, motus frequens & lenior ordinandus, crebro purgantia mitiora usurpanda, omnibusque laborandum modis, quo tum feri abundantia diminuat, tum uisciditas resoluatur.

LIX. Contraria penitus methodo procedere decet, si dyscrasia aromatica oleosa adest, quae ex frequenti cibi, potus & medicamentorum aromaticorum ingurgitatione contrahitur; quamquam enim, aromata parca usurpata dosi in dyscrasia uiscosa & serosa magnam praebeant utilitatem, non tamen iisdem dehinc peculiaris uirtus confortans attribuenda, uti satis absonum quorundam Medicorum fert scitum, quia eadem in subiectis feri defectu & rigidioribus fibris laborantibus plurima incommoda summamque imbecillitatem afferunt, ac cum primis bilis copiam gignunt; hinc foetor empyreumaticus ex ore & toto fere exhalat corpore, sapor obseruatur amarus, rancidus, pinguis, ut ab oleo ueteri uel ambusto, imo, acrimonia sua, uehementius exstimulando, fauces adurere uidetur; ructus & sapor saepius sentitur nidorosus, erosiones oris & aliarum partium nigrae cum seruore accedunt; adest frequens nausea cum uomendi difficultate, & si uomunt, parum materiae acris amarae eiicitur; appetitus praeterea languet, & cum ex acris oleosi abundantia, uehementior fiat exstimulatio partium oris neruosarum, intensaque urgeat sitis, continuo potulentorum tenentur desiderio; et possent certe aquosorum potulentorum remediorumque nitratum & tartareorum usu huiusmodi aegrotis succurri, si modo acris & spirituosus aromatici potus, quo tantopere desistantur, usui ualedicerent.

LX.

LX. His uero neglectis praeceptis, quid aliud expectandum, quam dyscrasiae & hinc prouenientium symptomatum incrementum; omnia deinceps adducta signa obseruantur deteriora; oris siccitas fit intensior, accumulatur in eodem sordes, totum corpus fit aridum & strigosum, faeces alui pingues & foetidae secedunt, urina meitur pauca, calida & urens, foetida, spumosa, cruor e secta missus uena niger, crassus & quasi ambustus apparet; hinc deinceps inflammationes celeres, pertinaces, similes suppurationes, gangraenae foetidissimae, allegata superius methodo, per aquosa, frigida & saponacea curandae oboriuntur.

LXI. Signa acrimoniae muriaticae haud multum discrepant ab iis, quae hactenus adducta; continua enim, ingens & pertinax urget sitis, adest pariter siccitas & rigiditas totius corporis; sapor insuper falsus, eroditur lingua aliaeque partes, ipsaeque erosiones rubicundae, instar carnis sale & nitro conditae; pruritu maximo tam erosae partes, quam tota cutis diuexantur; urina cum sedimento crasso, reliquae succi falso sapore, quid adsit, produnt, imo, a salis muriatici nimis resoluti abundantia saepe lotium rubro tingitur colore.

LXII. Maximam partem hic aer, cibus & porus accusandus, quorum mutatione totius cardo curationis innititur; endemius est ex commemoratarum uitio causarum scorbutus salino-muriaticus regionibus septentrionalibus, mari Baltico atque Oceano Germanico finitimis, Belgio, Daniae, Noruegiae, Succiae, Pomeranae, Westphaliae & aliis Germaniae locis. Solis aquosis simplicibus omnium optime dyscrasia salino-muriatica dilui atque elui potest, ipsaque uisciditas, si simul peccet, emolliiri atque e corpore remoueri.

LXIII. Non autem solum explicatae hactenus dyscrasiae species sufficiunt, sed praeter communes acris alcalinae, acidae, aromatico-oleosae, muriaticae & biliosae intemperiei rationes, specificae quarumuis praedominantium impuritatium qualitates explorandae atque expendendae; Quemadmodum enim in ipsa natura & mechanicis uidemus, aliud sal acidum esse fixum, aliud uolatile, et rursus aliud magis purum atque ad sensum simplex, uti acidum sulphuris uideatur, aliud uero compositum, hoc est, ex sale acido simplici et aliarum particularum congerie, quae sensibus patent, constat, unde aliud sal acido-terrestre, aliud acido-aere, aliud acido-sulphureum emergit, exemplo succi

acetosae, acetosellae, citri, aceti, spiritus liquorum, nitrioli, salis, nitri, tartari, butyri antimonii, aquae regiae, quae salia cuncta acidum inter se discrepant; Ac quemadmodum eandem in sale alcalino, sulphure, sero, terra et aliis principiis diuersitatem animaduertimus, eodem certe deinceps modo uarias sanguinis intemperiei species constituit, atque easdem ex accurato antecedentium, cum praesentium fratu collatorum examine expiscari, iisque corrigendis appropriata remedia applicare tenemur.

LXIV. Corruit secundum haecenus disputata totum uniuersalium remediorum et panacearum, quae sanguinem depurando sanitatem conseruare, morbis praecauere, et uitam prolongare creduntur, fundamentum; diuersa sanguinis dyscrasia ad sui correctionem diuersa requirit remedia, atque ad hoc perficiendum praescripta incedendum uia.

LXV. Speciali specialium morborum cura propositi certitudo affertur in apicem deduci potest; frequentissimi omnium morbi sunt febres; subiectum, quod hic afficitur, est tota massa sanguinea, partesque omnes, quas alluit transiitque sanguis, in motu suo vel sufflammat, uel nimium acceleratus, aut alia perturbatus ratione; causa autem materialis, quam latens in corpore ad dictum morbum constituit dispositio, in uaria sanguinis dyscrasia consistit, quae per externarum similium rerum accessum & concursum aucta, subigenda atque eliminanda per remedia cuius dyscrasiae accommodata.

LXVI. Accommodata autem ea solummodo dicenda, quae contrariarum operum particularum, materiali contactu, tum acria salium spicula deterunt, obtundunt, atque implicant, tum uiscosa resoluunt, tenuia incrassant, laxa constringunt, constricta relaxant, obstructas partes aperiunt, praedominantes impuritates, qua data uia, expellunt; Quis autem tam stupido est ingenio, & tam simplici iudicio, ut credat, unum remedium omnibus febrium speciebus curandis sufficere.

LXVII. Haud ignota quidem exempla Medicorum, qui unum idemque remedium non modo in febribus intermittentibus, remittentibus et continuis, a diuersa sanguinis dyscrasia obortis, sed in omni reliquorum morborum genere praescribunt; enim uero, quo, merito quaeritur, successu? Plurimi misere pereunt, alii ex morbo curabili in incurabilem praecipitantur, pauci reconvalescunt, reconvalescentesque non remediorum, sed naturae bonitate pristinam prosperamque recuperant ualitudinem.

LXVIII

LXVIII. Est adeo operae pretium, ut praedominantem dyscrasiam specificis corrigendo, eamque e primis uis et sanguine remouendo, praesentem in exoptato statu conseruemus, atque amissam denuo restituamus sanitatem; specifica utique desidero, non ea, quae per innatam facultatem certam partem uel uiscus respicere dicuntur, sed quae immutandae certae in specie particularum figurae et dispositioni inseruiunt, uti de lapidibus cancrorum aceti alterantibus particulas demonstrat LEWENHOEVK *Art. nat. det. et. epist. 1.*

LXIX. Vbi igitur necessitas postulat, ut solennem quandam secretionem restituamus suppressam, minime fides habenda sic dictis specificis uterinis, hepaticis, nephriticis, sed idem saltem molendum, ut dyscrasia, tanquam materiali uel antecedente obstructionis causa, a qua proxima prouenit, alterata atque euacuata, ordinariae deinceps excretioni prior aperiatu uia.

LXX. Latet reuera in exactiore huius rei consideratione certae & felicitis fundamentum Praeicos; sistamus nobis, ut exemplum in promptu positum rei robur addat, aegrotam menstrui obstructione sanguinis laborantem; iuxta ordinariam medendi methodum, sic dicta emmenagoga, qualia sunt castoreum, myrrha, succinum, sabina, marrubium album, borax, et ex his paratae essentiae, spiritus atque infusa commendantur, uix ullus autem praedominantem in huiusmodi persona dyscrasiam perquirat & considerat, atque ad eandem alterandam atque euacuandam, medelam dirigit; nunc enim a succorum defectu, ubi alimentis & potulentis uidem resarciendi; nunc ab humore uiscoso, uteri uterinaeque porulos uaginae obstruente oritur, qui salino fixis resoluendus, aquosisque remolliendus; modo acrimonia acida, quam corrigunt tam fixa, quam uolatilia alcalina; modo alcalina dyscrasia, quae mutatur euacuaturque acidis, dictae est causa obstructionis.

LXXI. Recte inde colligi & cognosci potest, easdem cautelas circa usum diaphoreticorum, diureticorum, purgantium atque emeticorum sedulo esse obseruandas; prostant remedia serosa, salino-fixa & uolatilia, alcalina & acida, simplicia & oleosa, magis minusque acria, quae insensibilem sensibilemque perspirationem, urinae secretionem atque aluiarum reiectionem fecum promouent, iisdem autem haud bene uti potes, si praesentis in corpore dyscrasiae indolem ignoras, eidemque accommodatum non feligis diureticum, diaphoreticum & purgans; & si commendatam non obseruas regulam, male & cum summo corporis detrimento, omnia, quae allegata, usurpas remedia.

LXXII. Quanto magis autem sanguinis dyscrasia per similes impuritates

eates genii primis inhaerentes uis augetur, eo maior prudentia & cura ad inuenienda atque applicanda congrua digestiua & purgantia requiruntur. Semper uero, secundum datam regulam generalem, laborandum, ut contrarium contrario corrigatur atque excernatur.


LXXIII. Absonium hac ratione est illorum scitum, qui in bilis abundantia atque acrimonia, & morbis exinde generatis, aloetia simili gaudentia indole praescribunt, serosa, nitrata & tartarea, tanquam contraria hic conueniunt. Peruerso pariter consilio, in salino-oleosae praesentia acrimoniae resinosa & gummosa purgantia, qualia resina gialappae, scammonii, gummi gottae ordinantur, saponacea cum aquosis hic decet adhibere. Errorem porro haud leuem committunt, qui rhabbarum, nigri fibras heliobori, asarum, folia sennae commendant aegrotis, quibus prima uiae alcalinis sunt oppletae cruditatibus; conducunt enim eadem solummodo in resoluenda atque expurganda impuritarum uiscidarum & serosarum saburra, non autem in allegato modo casu, sed hic potius digestium ex cremore tartari, tartaro uitriolato & similibus praemittendum, & deinceps tamarindi, ex his paratum infusum, uel essentia, quam per spiritum nitri dulcem paro, & qua in febribus continuis felici utor successu, exhibenda.

LXXIV. His iam uero naturae fundamento erutis et demonstratis, ulterius perspicere possumus, quo applausu et qua approbatione sic dicta antiscorbutica sint recipienda; Abutuntur certe multi idiotiae Medici uocabulo scorbuti, et quando specialis sanguinis dyscrasia explicanda atque indicanda, tunc ordinario dicunt, esse scorbutum; habet ita scorbutus communia cum cacochymia et cachexia fata; cachexia enim genus summum omnium morborum constituit, et nulla datur infirmitas, quam ad dictum genus non possimus referre; a uerbis, quippe *κακός* et *χολή* deriuatum, malum tam solidarum quam fluidarum partium statum denotat; cacochymia autem a *κακός* et *χολή* deductum, quoduis sub se humorum uitium complectitur. Vri autem ex his patet, Medicos, qui huiusmodi terminis generalibus utuntur, specialem causae morbificae indolem ignorare, ita ex simili ignorantia, promiscue sic dicta remedia uniuersalia scorbutica exhibent, cum tamen scorbuti species uariae sint, quas *Dissert. nostr. de rite perquir. morb. orig. cap. 15. p. 43. & sequ.* recensui, eaeque uariis et multum inter se discrepantibus remedijs egeant.

LXXV. Eaceffant quoque inanes de uniuersali puluerum alcalinorum, quibus ad statum sanum defendendum utuntur plurimi, utilitate persuasiones; noxii maxime sunt iidem, cum primis salia ex incineratione herbarum parata omnibus illis, qui alcalinae excessu dyscrasiae laborant; In specie haud leue afferunt detrimentum, si post uehementem mentis exacerbationem, quae motu, in toto corpore fortiore concitato, alcaliscentiae succorum ansam praebet, usurpantur; congrua hic magis sunt nitrata et tartarea, acida, aquoso propinara uehiculo.

LXXVI. Ceterum solidarum intemperiei partium, quae in nimia rigiditate et laxitate consistit, per externa etiam et topica succurrendum remedia, et quidem nimia rigiditas, quiete et fortibus remollientibus ex malua, uiolis, rosis, floribus uerbasci, liliorum alborum emendanda; nimia autem laxitas per frequens corporis exercitium, balnea sulphurea, fomenta exsiccantia calida auferenda.







01 A 6515

ULB Halle

3


002 932 091



W17







Q. D. B. V. 12

DISSERTATIO ANATOMICO - PATHOLOGICA  
DEMONSTRANS  
**VERITEMPERA-  
MENTI  
INHUMANO ABSENTIAM  
CORPORE  
HVIUSQVE CVM INTEMPERIE  
CONFUSIONEM**

QVAM  
PRAESIDE  
**CHRIST. GODOFREDO  
STENTZELIO**

TORGAVIENSI  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE  
AC FACULTATIS MEDICAE IN ACADEMIA  
VITEMBERGENSI ASSESSORE

DIE XXX. AVGVSTI A. MDCCXXVII  
IN AVDITORIO MEDICORVM  
HORIS ANTEMERIDIANIS

P. P.  
M. DAVID SIEGEMVND KRÜGELSTEIN BVDISSINVS  
M. C.

VITEMBERGAE, LITERIS CHRIST. ZIMMERMANNI, ACAD. TYP.